



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

[XLVII.] S. Ignatius alienus ab statuendis legibus ob priuatos errores, & ab rebus nouis admittendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Lusitanorum pauperum hospitali domo quo se receperat, dedit ad eum literas doloris, & lacrymarum plenas, quibus ad misericordiam inflexus, educendum curauit Ignatius in alias aedes, ut illic pergeret, infamis fugae sacrilegium expiare, priusquam coram compareret. At is interea, morae illius piaculo minime contentus, nudus zona tenus in publicum erupit, crude in seipsum flagellis saeuens, & luce palam Deo ac Societati ultro neum culpae supplicium dependens, de quo ad iuuenis affinem, principem feminam scripsit Ignatius, stationum sacrarum quas obibat vias, multo sanguine notasse. Eratque illam iteraturus sibi poenam, nisi ab eodem fuisset inhibitus; à quo breui postea vocatus, ea teneritate beneuolentiae exceptus est, ut qui se pudore, & lacrymis confusus ad eius pedes iactauerat, praeter interiori gaudio temperare à flectuo non posset, visus sibi quodammodo renasci, & nouam denuo vitam inchoare. Certè quidem hinc coepit tanta religiosi laboris, & sanctimoniae strenuitate agere, ut praesagire animo videretur breue sibi spatium ad metam superesse: nam aliquanto post lenta febris affectus, craciato longo contabuit. Ad extremum aduerto subiectorum lapsus, in iis qui praerant, quandoque Ignatium puniuisse, si vel eos caute non anteuertent, vel compertos, ipsi non punirent. Duos adiutores cum forte obuios habuisset, minus composito, & modesto incessu, viuaci admodum reprehensione iussit ministri incogitantiam perstringi, in duobus iungendis, quorum neuter posset, incitamento modestiae, vel exemplo comiti suo esse. Quod idem praestitit aduersus Sebastianum Romeum Collegij Rectorem, cum templa septem indulgentiae causa adituros, passus esset aliquid panis, & vini secum in prandium deferre; nec probauit excusationem moris ab eo minime inducti; culpam enim fuisse respondit, quod non sustulisset iam inductum; cum peius erretur quoties in viam longiorem, error fortuitus transire sinitur.

XLVII

*S. Ignatius
alienus ab
statuendis
legibus ob
priuatos er-
rores, & ab
rebus nouis
admittendis.*

Obseruo nihilominus, etsi promptam manum iniiceret, primis laxanda regulae occasionibus succidendis, sed ab lege vniuersis condenda, ad priuati vnus emendandam culpam fuisse alienissimum; nec vnus ebrii scelere vites omnes ferro, & signi, sed aquae liberalis correctione condemnasse. Tiro ille quem dixi, corroganda per urbem stipe pudefactum, desertionem cogitasse, haudquaquam illum ad legem impulit, qua vetaret omnes in perpetuum nouitios ab eo piae humilitatis munere amoueri; sed qua iis tantum ad hoc mitterentur, quos virtutis illorum securus mittendos iudicasset. Nec enim decere virtuti multorum campum claudi, quod vnus aliquis in eo cespitarit. Nec esse magnanimi pectoris, ut sibi quidam blandiuntur, sed debilis potius, & ignaui, idcirco benignam virtutis materiam subtrahere omnibus, quod ea non nemo maligne vsus sit; id enim decretum nisi verbis tribus scribendis dictandisve non constat; peccantis autem quam velle debent iusta correctio, obnoxia est iis quae ipsi deuitant obstaculis, querimoniis, & molestiis, quae magni demum est pectoris superare, & coquere; Inde legum illa vix tolerabilis multitudo, paucitate semper apud sapientes deterior

deterior habita; nam possunt quæ opus est ferri; semel latæ, violari si cœperint, vnà & mali remedium vel perit, vel per magnas difficultates ægrè inuenitur. Nouitates porro tamerli pertenues, non patiebatur à quoquam inuehi; nec enim vnquam illic quiescère vbi nouandi principium fecerunt, sed vnus finem, gradum esse ad aliquid grauius. Quare Martinum Olaium Collegij tunc Romani primarium, Ribadeneiram, & alios, seuerè arguit, quod rure dum nostri feriarentur ab literis, ludum excogitassent quendam nouum, mali nempe aurati in orbem iactandi, ea lege, vt cui excideret, salutationem Deiparæ statim de genibus recitaret. Quid fuisset in illos decreturus qui opinioniones in scholam nouas ausi essent intrudere, cum frequens in ore id illi fuerit, si sexcentos annos vitam produceret, reclamaturum se constanter, procul nouandi libertas, in Theologicis, Philosophicis, Logicis, adeoque etiam & in Grammaticis, nec boni vllius blandimento ad eam probandam adduci valuerit. Abstinẽtiã illam à consueta cœna quam diebus veneris tenemus, volebant nonnulli, legitimo mutari ieiunio; id quamuis exile attamen reiecit; Andream Galuanellum Venetiis Rectorem audiuit, allocutionem ad suos, profestis diebus per horam, festis vero per duas, habere: iis licet multi proficerent, censuit quibusque hebdomadis vnã sufficere. Eundem multauit Olaium, quod supra mensam librum intulisset; probum quidem, & quem legi exinde non abnuis, sed tunc nondum vsu nostro probatum. Ita bono suo nec commune fraudauit, nec diffimulauit, quod priuatus malè vsurparat. Bonæ mentis ardor, sed nimius, Hieronymo Natali pluris stetit, nam post inspectam illius mandato Hispaniam, semel & iterum vehementius quam decebat euincere ex illo conatus est, vt produceretur tempus quod nostris dum student ad orandum præscribit regula: hunc tam inquieto calentem feruore animum, & increpauit acerriamè, & magnam regendæ Societatis partem aliquanto prius in eum depositam, ei abrogauit. Intellexit vir sanctus non alios esse Ordinis dissipandi aditus proniores, quam si alicunde incipias: quantum enim tibi arridet illa mutatio; duplo tantum alijs aliæ placebunt, videbunturque necessaria; sic illam veluti annulatim instituti catenam dissolui necesse fuerit, quæ nisi nexu constare non potest, cum nisi ex mutua partium ratione, & habitudine non coaluerit. In quo nihil mirum priuatos sapius cæcutire, vt quibus deest is oculis, quem in fundatoribus Ordinum sol sapientiæ accendit: adde quod perperam omnino humanis regulis loco cedere iubentur diuinæ, per fundatores diuinitus traditæ. Quæ causa fuit Ignatio prouidentia exquisitoris, & prope scrupulosæ in rebus quoque leuissimis, circumscribendis modo stabili, ac firmo, ne vlli è posteris nouandi aliquid relinqueretur occasio, tamerli pro ea quæ nactus esset potestate id cuperet: eandemque ob causam in summa rei egestate, compulsus se ait, emere Romano Collegio prædium ad reficiendos nostros à labore morborum, & literarij studij; vt ex eius prædij modo, atque vsu discerent alij quo pacto vti similibus deberent. Fuitque hæc fama dum viueret vnum esse in Societate vniuersa Rectorem

rem, quod esset vbique tam sibi eadem consentiensque gubernatio, vt ab vno geri non à pluribus videretur.

XLVIII.

*Societatis
famam quã
sopere ius
tus sit.*

Denique certo persuasus Societatem, non suam sed Dei rem esse, (fuit enim hic eius sensus perpetuus, (nihil eorum omisit quæ ad cõseruandam illius sanctitatem, auctoritatẽque, & tuendam aduersus impugiantes famam præstari valeret: nulli ante fas erat ad concionandum, vel docendum prodire, quam ipsi & aliis quos secum assumpserat in eo genere versatis, experimentum dedisset suæ facultatis. Quibus à summo Pontifice, missiones, & grauis momenti negotia mandabantur, vti & cæteris quos ipse adhiberet, coram, & scripto tradebat monita, quæ in rem maxime facerent accommodata loco, & tempori. His Ioannem Nugnezium Barretum Æthiopiæ patriarcham, ad suam Ecclesiam è Lusitania discellurum muniuit; his Lainium, & Natalem, Cardinali Moroni ab Iulio III. ad comitia Augustana à consiliis datos; Pascasium, & Salmeronem à Paulo III. in Hiberniam nuncios; Iacobum Mironum, Lusitaniæ Regis obsequio destinatum instituit; suas etiam Manareo, cum gubernatore Laureti versaturo; suas Pelletario, duci Ferrariæ Herculi operam nauaturo; suas Pontificis ad tridentinum confessum Theologis Iacobo Lainio, & Salmeroni; suas quibusque aliis cautiones, & sanctimoniam, ac sapientiæ præcepta tradidit, quorum causas, & mentem longum hic fuerit explicatius narrare, & commodior alias seruetur iis locus. Iam in Societate defendenda, primum hoc tenuit, ne qua re omnino aut nouos sibi aduersarios crearet, aut exasperaret acrius veteres. Quare vi nulla induci potuit, vt refelli ardentius censuram pateretur, qua Academici Sorbonæ Societatem crudè perstrinxerant, vel tumultuosè in eam aliquid moueri. Quod cum domi nonnullos ferre iniquius cerneret, nec illam amplecti nimiam placabilitatem, nec acquiescere satisfaciendi sapius illis Christi verbis, *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*; publicam ad eos addidit cohortationem, qua vehementius contendit, nec esse religiosis mentibus liberum, tametsi grauer offendis indignari, aut concipere aliquid vindictæ, sub defensione necessaria sapius latitantis; nec pati prudentiam vt æternas, aduersus communitatem, præsertim illustrem, susciperemus inimicitias: ob hoc item Martinum Olaiuum redire ad theses noluit ab religiosis quibusdam in conuentu totius Ordinis positas, quod ex iis aliquas, sic exagitasset, vt responsonem propugnanti omnem eriperet. Quippe illi splendor non placuit, quo obscurarentur alij; nec emendam vnus gloriam maleuolentia multorum, qui, vt nimis procliuè, offusum pudorem interpretaturi erant iniuriam. Eundem quoque Olaiuum rogauit vt ex positionibus Theologicis quas erat editurus, eam vellet delere, qua male affici poterant qui consueuissent diuersa sentire. In querendis quin etiam Deo cæloque hominibus, in quo vires omnes optabat à nobis exeri; ea tamen id agi moderatione, & solertia cauendi cupiebat, ne cui iusta daretur offensionis occasio. Duo nimirum in Societate operarum feruentium dicere genera solebat, alios qui ædificarent, nunquam destruerent,